

(6)

efecto fueron nombrados los Señores Doctor D. José Miguel Gordoa Canònigo Lectoral de esta Iglesia, para que dijese la Oracion latina, y Doctor D. José Domingo Sanchez Prebendado de la misma, para la castellana.

El 19 de Mayo, levantado de nuevo el Catafalco con las mismas inscripciones, con asistencia de las Corporaciones Eclesiásticas, y del Ilustre Claustro de Doctores, à las cinco de la tarde comenzaron las Visperas de Difuntos con la mayor posible solemnidad, à las que siguió la Oracion latina, concluyendo toda la funcion à las siete, y al siguiente dia, con la misma solemnidad que las Visperas antecedentes, se cantó la Vigilia y Misa, à lo que siguió la Oracion castellana, y finalizada esta, se cantaron los cinco responsos, conforme à lo prevenido por el Ceremonial de Obispos. Los dobles de todas las Iglesias, el canto triste de los oficios, y el aparato de luto que presentaba la Santa Iglesia Cathedral, renovaron el dolor que sufocaba los corazones, y aquellas memorias funestas que anegaban à los virtuosos Diocesanos en un mar de làgrimas, para desahogar sus justos sentimientos por la pérdida de su Prelado, tanto mas dolorosa, quanto mas irreparable.

Se presentan al público los discursos pronunciados en los dias sobredichos, y en ellos se verá el language de la sinceridad y buena feé, la eloquencia mas viva y penetrante, y la exposicion de los justos sentimientos de los Oradores.

# ORATIO

IN FUNERE

EXCMI, ATQUE ILLMI.

D. D. D. JOANNIS CRUCIS

RUIZ DE CABAÑAS ET CRESPO

GUADALAX. ECCL. MÉRITIS. PRAESULIS

HABITA IN TEMPLO MAXIMO.

EIUSDÉM DIOECESIS

DIE DECIMA NONA MAII

ANNI M. DCCCXXV.

A DOCTOR. JOSEPH. MICHAEL GORDO A

IN EADEM. ECCLESIA CANONICO LECTORALI

AC TRIDENT. SEM. RECTORE.



**H**aecce tandem mihi amara et cruenta sors erat futura? Unus ego moerore ingenti percussus, et cum idoneus non sim, praeter caeteros cogor apud vos verba facere acerbissimo in hoc luctu meo, et verba facere de optimo denato Ecclesiae Principe, quo nihil gravius, nihil augustius non dixerim nostra, sed prisca etiam tempora viderunt? Ipse, inquam summo squalore confectus, neque aliter quidem sine scelere ac culpa ingrati animi esse possem, quemque obmutescentem penitus, aut vero luctuosis gemitibus oppressum et singultibus, stragulata et interrupta voce ardentissimas inter lacrimas et ululatus vix prae dolore murmur captui edentem, iure ac merito praestolaremini, illaetabilem quoque et funestam parentandi vesperscentē die in hoc tristissimo luctuosissimoque funere impositam mihi necessitatem stupens cerno atque omnibus artubus contremiscens. Nam cum saepe alias tetra innumera saevissimae etiam exempla viderimus, tum hac potissimum tempestate id nobis insanā perpetuāque obtigit accessione mali, quo nullum vel gravius vel tristicus nē mente quidem excogitare quisquam mortalium potest, nedum oculis intueri. Abiit enim Exemus, at;



que Illm̄s. Guadalaxarianae Ecclesiae Praesul D. D. JOANNES CRUX RUIZ DE CABAÑAS ET CRESPO; at ubi nam, amabo, reperendum? excessit è vita, nusquam est. O malum inauditum et atrox! O immitem, truculentissimam stragem! O incomparabilem iacturam ullis unquam saeculis aequandam! quem finem luctui nostro inveniemus, aut quis moerorem hunc tantum non dicam solabitur, sed leniet? Tanto equidem Praesule ab Ecclesia erepto et nobis miserrime divulso, infinita quadam miseria obrutos nos in hac summa orbitate, cuncta nostra gaudia, omnia demum nobis simul cum illo interuisse lamentamur, magnoperè angustiamur et angimur. Conscii etenim nobis omnibus sumus, aut tandem aliquando experti ultro ac palam profitebimur, acerbius nullum vulnus cordibus nostris infligi unquam posse. Sed quorsum ire instituo? Acerrimam plagam, eiulatus, bonorum omnium acerbitatem, doloris, laesusque moestissimos in decessu optimi Principis percensere numerando; an Principis ipsius excelsas virtutes superandasque dotes, sin minus verbis extollere atque immortalitati commendare, at adumbrare, vel saltim rudi et incompto sermone decerpere ac delibare, hanc Cathedram conscendi. Parebo igitur, ut poterò, tempori alacer et obsequens pro singulari mea observantia et benevolentia erga illum, quas vehementissimè aliquo argumento publico testari

optaveram, funebri pompae laudationem funebrem non sine lacrimis accomodabo; quamvis nullam gravem hancce et arduam publice lugendi provinciam datam alii, et commissam eloquio plus potenti, qui memoriam clarissimi Defuncti commendare, animisque omnium nostrum insinuare, blandiri, et nulla temporis longinquitate, nulla iniuria delendis vestigiis imprimere et infigere valeret. Joannis profecto eximium nomen, quod semet aeternitati iamdudum consecravit, sicque omni oblivioni prorsus exemit, potentius ab interitu et uberius etiam iret vindicatum.

Atque ut singula quae dicere constitui, ad id quod est omnium caput, ex quo Antistitis nostri omnes fere virtutes confluerunt, revocentur, enitar quoad possim ostendere vobis in Joanne Excelsi cuiusdam ac praestantissimi Ecclesiae Dei Principis specimen, eo vel maxime, quod suam Dioecesim difficillimis hisce, ne dicam supra modum asperis temporibus, praeter caeteras apostolicas virtutes, magnanima ac pene divina prudentia moderarit, eamque ab infanda errorum ubique serpentium contagione illibatam, et in fide catholica sartam, tectamque servare pro viribus contenderit, idquecirco nemini decessorum suorum, qui fama prae caeteris incluserunt, secundus videatur.

Ast in vestibulo ipso dicendi haeret animus, et unde oratio mea profiscatur anceps sum, sive



enim eius patriae gloriam, nomen, et antiquitatem iactari oporteat atque perlustrare, sive maiorum stemmata, generisve claritudinem et splendorem contemplemur, undique vorsum immensa laudum seges nobis occurrit, quamvis ad veram immarcesibilemque gloriam nihil penitus aut parum admodum intersit, in qua quis regione, imo quibus parentibus maioribusve natus fuerit et ortus; excelsae quidem animi dotes seu virtutes, natali loco etsi celebratissimo adstrictae nusquam fuerunt, et semel et iterum conspeximus non paucos splendidissimae suae nobilitatem prosapiae deturpantes, scelerata admodum et flagitiosa vivendi ratione, seque adeo parentibus maioribusque indignos, necnon bonis omnibus temnendos et aspernandos praeberi: id itaque in Antistite nostro prae caeteris est commendabilius, quippe qui non à patria, non à parentibus neque à maioribus etsi praeclaris suam mutuarit dignitatem et gloriam, quin potius patriae, parentibus ipsis, imo Hesperiae toti honorem dederit immortalem, siquidem virtutis et verae sapientiae insignibus ostentis eo usque claruit et emicuit, ut etiamsi ei parentes maioresve miserae atque abiectae plebis obtigissent, clarissimos omnes reddidisset.

Ergo non meis viribus quae nullae sunt, sed Praepotentis Dei auxilio nisus, et vestra fretus benevolentia, inde ordiri iuvat unde vera laus Antisti-

tum et gloria numquam intermoritura praesertim est ducenda. Vitali namque aera primodum fructus Joannes tertia die Maii anni supra millesimum septem centesimi quinquagesimi secundi, nihil eorum, quae in aliis assuescunt esse pueris, videbantur in illo, non equidem illecebras ulla deliciarum, non pronos ad licentiam mores, non adiutam impunitate audaciam, non denique blandientis fortunae ullum in ipsius animo impressum reperiebatur vestigium: iam enim à puero naturae necessitatibus ipsis quibus paulo latius sine vituperatione indulgere solemus, contemnendis penitus assueverat ac superandis invicta mentis constantia. Vix autem duodevicesimum aetatis suae annum attigerat, cum solidae virtutis iam optimaque eruditionis laude emicans et fulgens, sanctissima quoque in Deum pietate, politissimis simul et iucundissimis moribus cordatorum omnium sibi et proborum amorem admirationemque conscivit meritissimam. Pulcherrimas animi corporisque dotes nactus et instructus, primo etiam pueritiae sanctis illis salubribusque monitis, quibus parentes necnon pietissimi moderatores tenerum pectus ad bonam frugem efformare, eique verae pietatis alma principia instillare benè ac prudentèr acceperant, excelsae suae indolis et singularis ingenii luculentissima iam tum apparuerunt indicia, adeo ut tenera etiam illa aetate ad summum in studiis fastigium se